

acerrimorum hostium, a tam malo adversario victus? Quid—quid voluptas suaserit, faciet. Age, non vides, quam multa suasura sit? «Nihil,» inquis, «poterit suadere turpiter, quia adjuncta virtuti est.» Non tu vides iterum, quale sit summum bonum, cui custode opus est, ut bonum sit? Virtus autem quomodo voluptatem reget, quam sequitur, quum sequi parentis sit, regere imperantis? A tergo ponitis, quod imperat. Egregium autem virtutis apud vos officium, voluptates praegustare! Sed videbimus, an apud quos tam contumeliose tractata virtus est, adhuc virtus sit: quae habere nomen suum non potest, si loco cessit. Interim de quo agitur, multos ostendam voluptatibus obsessos, in quos fortuna omnia munera sua effudit, quos fatearis necesse est malos. Adspice Nomentanum et Apicium, terrarum ac maris (ut isti vocant) bona conquirentes, et super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem e suggestu rosae expectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes. Mollibus lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus, et ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur. Hos esse in voluptatibus dices: nec tamen illis bene erit, quia non bono gaudent.

XII. «Male,» inquit, «illis erit: quia multa interveniunt, quae perturbant animum, et opiniones inter se contrariae mentem inquietabunt.» Quod ita esse concedo. Sed nihilominus illi ipsi stulti, et inaequales, et sub ictu poenitentiae positi magnas percipiunt voluptates; ut fatendum sit, tam longum illos ab omni molestia abesse, quam a bona mente; et (quod plerisque contingit) hilarem insaniam insanire, ac per risum furere. At contra, sapientium remissae voluptates et modestæ ac pene languidae sunt, compressaeque, et vix notabiles: ut quae neque accessitae veniant, nec, quamvis per se accesserint, in honore sint, neque ullo gaudio percipientium exceptæ. Miscent enim illas, et interponunt vitae, ut ludum jocumque